



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. De effectibus validæ professionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ligantur, donec rationes reddiderint; qui sunt excommunicati, qui simoniace profitentur, qui verbis, vel alio impedimento contra substantiam ordinis impediuntur.

§. VI.

*Ad quos spectet potestas admit-
tendi novitios ad professionem.*

Spectato jure communi Abbatem, seu Prælatum religionis immediatum, & mediatum etiam superiorem, Generalem v. g. aut Episcopum in ordinibus non exemptis, Abbatissas in monasterijs monialium, & simul ad conventum illius loci, pertinet admissio talis, ita ut non tantum consilium capituli ad validam receptionem requiratur, sed consensus etiam saltem majoris partis (nisi peculiaris ordinis statuta, aut recepta consuetudo aliud jubeat) prout colligitur etiam ex *c. ea, que. 6. de his que sunt à Prælato*, quia agitur in tali casu de re, capituli bonum, vel præjudicium concernente; in eo casu tamen, quo ad Prælatum, & Capitulum simul talis admissio pertinet, potest, vacante sede, solum Capitulum ad professionem admittere, prout statuitur in *c. fin. h. t. in 6.* non autem, si ad solum Prælatum admissio pertinet.

§. VII.

De effectibus valida professionis.

Valida professionis primus effectus est, quod dirimat matrimonium post contrahendum, & etiam antea contractum, nondum tamen consummatum, de quo infra.

Secundus effectus est, quod nonnullam quam divortium inter conjuges copulata cohabitationem, & thorum, petiti possit, si vel ingredi religionem curare velit, vel altero ingrediente, alter totum continentie facere velit, prout colligitur ex *c. veniens 9. h. t. & plura infra dicitur.*

Tertius effectus est, quod per professionem in religione quacunque approbata factam, tollitur prius votum simplex ingrediendi certam religionem, & in ea profitendi. *c. qui post 5. h. t. in 1.* quia minus vinculum, votum scilicet simplex de ingrediendo religionem certam, tollitur per fortius vinculum hęciperveniens per professionem scilicet in religione approbata factam, sicut simplex venditio, per alteram, cuius rei venditæ annexa est, tollitur, & licet sponsalia de futuro dissolvantur per sponsalia de presenti: peccat tamen talis sine rationabili causa votum suum de profitendo v. g. in strictiore religione non servavit, profitendo in religione laxiore.

Quartus effectus est, quod per professionem religiosam tollatur patria potestas non quidem in damnum, sed consilium religiosi, cum hic per professionem tradat religioni, in cuius potestatem transit) tollantur omnia vota, & juramenta prius edita *c. 4. de voto. tollantur in regularibus, ex defectu natalium; non quidem in ordine ad Prælatus, aut beneficia curata, sed in ordine ad sacros ordines suscipiendos; tollatur masculi seu inhabilitas ad actus quorundam civilis &c.*